e-codices



Parhypate synemmenon enarmonios
Parhypate synemmenon chrom.
Paranete synemmenon diatonos
Nete synemmenon meson
Paramesos.
Trite diezeugmenon
Parhypate diezeugmenon enarm.
Parhypate diezeugmenon cromatic.
Parhypate diezeugmenon diat.
Trite hyperboleon
Paranete hyperboleon enarm.
Parhypate hyperboleon
Paranete hyperboleon diatonos
Nete hyperboleon.

MONOCHORDI REGULARIS PARTITIO IN GENERE DIATONICO.

Sed iam tempus ē ad regularis monochordi diuisionem uenire. de qua re illud ē praediscendū quod siue in mensura neruū siue in numeris atque eorū proportione. statuitur describenda diuisio. maius spatium chordae. & maior numeri multitudo. sonos grauiores efficiet. At si fuerit nerui longitudo contractior. & in numeris non multa pluralitas. acutiores uoces edi necesse ē. Atque ex hac comparatione quantū unaquaeque fuerit. uel longior uel plurium numerorum. aliaque uel contractior uel paucioribus signata numeris. tanto uel grauior. ut acutior inuenitur. Nec lectorem res illa conturbet. quod intendentes sepe spatia proportionum. numero maiore signauimus. Remittentes uero minore. cum intentio acumen faciat. remissio grauitatem. Illic enim proportionū tantū spatia signabamus. nihil de grauitatis aut acuminis proprietate laborantes. Atque ideo & in acumen maioribus numeris intendimus. & minoribus in grauitatem sepe remisimus. hic ubi chordarum spatia sonosque me metiemur. naturā rerū sequi necesse est. maiorique longitudini chordarum ex qua grauitas existit ampliores. minori uero ex qua uocis acumen nascitur dare breuiores. Sit chorda intenta AB huic aequalis regula quae propositis partitionibus diuidatur. Ut ea regula chordae apposita. eędem diuisiones in neruı longitudine signentur quas ante signaueramus in regula. Nos uero numerum diuidimus quasi ipsam chordam & non regulam partiamur. Diuidatur AB. In quattuor partes per ea puncta quae sunt. C D E. erit igitur tota quidem AB dupla ab his quae ē. DB. AD. Singillatim uero. AD. DB. duplę sunt ab his quae sunt. AE. ED. DE. EB. Erit igitur. AB quidem grauissima. i. proslambanomenos. DB. autem mese; ē enim dimidia totius; & sicut.

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 103 – Boetii geometria et musica (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0298/103)